IAMDIV procellis agitata Gallia, & penè sub bellorum onere fatiscens certissimam minari ruinam videbatur, (Cardinalis Eminentissime) cum mare illud fluctuosum tonties ab implorato numine sedatum est; ubi diuinum illud Pollucis iubar irradiauit, ecce paccatâ tempestate, silentibus undique Aquilonibus iterum affulsere dies Alcionei: unum tamen ad Galliæ tranquillitatem supererat. Quemadmodum cœlum non ita unâ stellâ exhilaratur, nec tanto splendore terras collustrat, quàm si geminis syderibus lucidissimis pulcherrimè distinguatur: sic Gallia Castoris alterius fratris lumine destituta, incompletâ tantum luce fruebatur, nisi ab omnipotenti dexterâ decus alterum ipsimet restitutum fuisset. Qui enim diu non nubium, sed pietatis velo suæ genti defecerat, clariùs postea resulsit: quique ad mundi voluptates videbatur emortuus, ipsemet cunctis applaudentibus, efflaglitante fratre, Deo subridente, immortalitate donatus est; talemque apud omnes de se concitauit admirationem, vt non indignè celebres aras meritus & in summis Galliæ periculis Deus tutelaris nuncupatus fuerit? Quid hîc ergo erit illepidum si suplex suas ad aras prouoluar? Quid intempestiuum, si ego penè in pharmaciæ & medicinæ potiones potius dicam gurgites immersus, in tam procelloso mari toties aduocatum numen fatigem? Quæ sirtes, quæ procellæ mihi minitantes audebunt reluctari? si Castorem in tam difficili & arduâ nauigatione secundum experiar. Sed heùs ad tantum splendoris, pietatis, honoris, virtutum, scientiarumque omnium fontem accedere reformidat animus. Verùm audaciæ & temeritatis potiùs, quàm ingrati animi vitio damnari malim. Nec intempestiuum quæso existimes (Galliarum decus æternum) si ego has Medicinæ primitias Tibi (cuius in omnes beneuolentia mihi notissima est) offerre ausus sim. Agitur enim de remedijs, de quibus neminem arbitror æquius & certius iudicium laturum, quàm is qui omnium malis certissimam fecit medicinam. Hos igitur meos enascentes flosculos è Medicinæ hortis excerptos ac delibatos gratissimos habeas velim, meque tibi alia (si per Dei immensam bonitatem maturior ætas accesserit) Te digniora aliquando oblaturum arbitreris. Interim viue Deo, viue tuis, tuoque populo, mihi viue & pro tua beneuolentia Tibi innatâ faue. VALE.

QVÆSTIO MEDICA

In scholis Medicorum agitanda Musi - Ponti Domino PISONE Decano moderatore, Archiatro celsitudinis Lotharingiæ ac Professore, die 5. Iunij Anno Dom. 1631.

An morbis Contagiosis ὑπνώτικα?

72

RERVM omnium interitus, vt ortus multiplex, corporum simplicium corruptio, viuentium mors, mistorum putredo (morborum τὸ θεῖον) σῆψις non est, sed marcoris species, proprij & natiui caloris in humido corruptio, à calore alieno aeris, fuliginum, μιασμάτων contagiosorum, duplex καθ'ὅλου & κατὰ μέρος, vtraque spiritibus, humoribus & partibus communis, celeritate dispar: Austrinâ tempestate sæuit magis, Aquilonià minùs, partes solidæ sanguineis, excrementitijs nutritij humores ægriùs putrescunt, ex quibus sanguis omnium celerrimè, non modo in cauitatem illapsus, sed & suis conceptaculis coërcitus. Putridum omne ἄπεπτον, ideo morborum initijs λῦμα φερόντων χρεῶν educendum, phlebotomiâ, catharsi, vomitu, sudoribus; inualescens putredo ne longius serpat inhibenda acidis & refrigerantibus, citri, aut granatorum succo, omphacio, lactuca; vires si collabentur cibis εὐχύμοις reparandæ & somno moderato reficiendæ.

CONTAGIOSVS morbus omnis à putredine, non contra, quartum morbi genus non constituit, ad similarem, vel organicum, vel communem non refertur; affectus est νοσέρη ἀποκρίσει congenerem in alio affectum, infectione minimis partibus sensim illata, generare valens. Excretio hæc vapor est, siue fuligo σπηδονώδης vi caloris è putrefactis corporibus educta, quæ sensim in corpus irrepens, & σωματικῶς contingens illud inficit non qualitate aliqua intentionali, aut occultâ, sed reali, & manifestâ, à cuius mixtione & temperaturâ variâ tres modi existunt, quibus morbi contagione propagantur: Contactu, fomite & eminùs: solo contactu hydrophobia, alopecia, ophiasis; fomite achores, χέλια, aphthæ, strumæ, phthisis, scabies, serpigo, furunculi, lues venerea, elephanthiasis: Demum alij eminùs, dysenteria, ophthalmia, ecthymata, exanthemata, febris purpurata, pestilens, Britannica, pestis.

SOMNVS Hyeme longissimus, Æstate breuis, pueris insomniorum, non pauoris expers, senibus & melancholicis πολυύπνους obrepit. Primi sensorij quies est siue remissio, motum & sensum adimens, ex spirituum in cerebri ventriculis detentione orta, ad animalis spiritus & virium instaurationem à naturâ destinata. Sistunt in cerebro spiritus, quæ effrenatos ferinorum humorum motus, eorum acrimoniam & fuligines coercent & retundunt, spiritus à sensorijs motusque organis blandè abducunt reuocantque; ac demum aditus ipsis intercipiunt: Hinc apoplexia ab vteri prægocatione ἐκπνοίας distinguenda, cataos à lethargo, febre. Hypnotica dicimus non quæ somnum διαπαντὸς, vt mandragora, vel θρεγχώδη, vt styrax, opium calidum, acero aut citri succo, non croco & castoreo emendandum, sed quæ blandâ suâ anathymiasi placidum conciliant: horum alia humiditati temperatum calorem habent adiunctum, alia frigus mediocre, vt nenuphar, viola, lactuca; His effluuia contagiosa extinguuntur, putredo sedatur, putrefactorum non prohibetur excretio, vires restaurantur.

PER vigilias spirituum, in quibus corporis vires positæ sunt perennis fit dissipatio, ita per somnum indesinens deperditorum reparatio, animalium in cerebro, motus & sensus (quorum est exors) principio, vitalium in corde, naturalium in hepate; ex quorum omnium circum viscera coitu calor natiuus fit vegetior, cibi crudioriſque pituitæ perfectæ emanant coctiones, excrementitiorum atque putridorum cùm humorum tùm seminariorum attemperatio, & à nutritijs succis secretio, crassiorum attenuatio, subtilium euaporatio atque excretio per insensibilem transpirationem aut sudores, tunc vberius erumpentes, fœtidos interdum, vt in elephanticis: ὕπνος igitur σπλάγχνοις, quæ spirituum vbertate & copiâ corroborata virus omne longè à se propellunt; Hinc papulæ, exanthemata omnis generis in corporis superficie efflorescunt, vlceribus & scabie cutis fœdatur, tumorum materia in emunctoria & partes à nobilibus procul dissitas amandatur.

CONTAGIONE serpentium morborum vnica est causa putredo, vnica curandi ratio per causæ ablationem, quæ materiâ, qualitate, modo & subiecto distincta, varijs remedijs, & per varios ductus atque vias eliminanda, ab ea pronati affectus percurandi. Furunculus, ecthymata, anthrax, tumor venereus & pestilens purulento absessu; ophthalmia, alui profluuio: aphthæ, caries pudendi, ἰῶπύρετος sudoribus: achores, χέλια, alopecia, ophiasis, μεταυγκρίσεις: scabies serpigo, elephantiasis, hydrargyrosi, strumæ, lues venerea πλυελισμὸς (tabidis & hidroticorum vsu emaciatis non præscribendo) lues vtraque sudoribus vel absessu. His omnibus conueniunt phlebotomia quouis tempore, etiam exanthematis rubris, vel purpureis efflorescentibus; Catharsis morbi initio, vbi adest materiæ ὀργασμὸς; hypnotica ventre suis sordibus exonerato, dolore aut iugibus vigilijs fatiscente natura: somnum enim ὑπεύθυνον excitant, viscerum robur & temperiem tuentur, humorum feruorem contemperant, inordinatos eorum compescunt motus, fluxiones sistunt, putredinem coercent, tetros arcent vapores, denique contagiosorum morborum vires foras protrudunt.

Ergo morbis Contagiosis ὑπνώτικα.